

22667
e/ - 51



22667 V2.e.2.ii f.1.

ANTONIUS ALOYSIUS WOLF

Dei et sanctae Sedis Apostolicae Gratia Episcopus
Labacensis!

Universo Venerabili Clero saeculari et regulari Dioecesis La-
bacensis salutem in Domino!

Clementissimus Austriae Imperator et Rex noster FRANCISCUS I. 27.^{ma} Februarii a. c. me nominavit Episcopum Labensem, nominatumque canonica institutione sanxit 12.^{ma} Iuli a. c. Sanctissimus Dominus LEO Papa duodecimus, sicque ab utriusque reipublicae venerandis Capitibus, quae Deus quam diutissime salva conservet, ad vos missus sedem hanc episcopalem a trecentis sexaginta tribus annis conspicuam hodie conserendo.

Ad tantam dignitatem licet immerito provectus gaudio tamen affici deberem eo maiori, cum restituar terrae, in qua natus et educatus fui, et a qua nonnisi his ultimis octo annis disjunctus extiti, quibus ex mandato AUGUSTISSIMI pro ordinandis rebus ecclesiasticis et scholasticis in litoralis Illyriae partibus Consiliarii munere ad excelsum caes. reg. Gubernium Tergestinum fungabar; ast gaudium, quod me inter vos reducem comitatur, vincere hucusque non potuit angorem, qui in animum meum irruerat, simul ac intellexi, sublime sacrumque istud officium meis humeris usque debilibus impositum iri, angorem tot curis et sollicitudinibus auctum, ut hodie adhuc nonnisi tremente manu capiam baculum pastoralis officii, quo infirmus fungi debeam in vinea Domini tam lata, tamque regia.

Multa quidem sunt, quae animum meum fluctuantem quodammodo erigere valent. Palam enim enuntiare audeo, me Episcopatum, quem hodie adeo, nequaquam ambiisse, ipsumque mihi praeter omnem expectationem ex abundantia gratiae tam AUGUSTISSIMI, quam SANCTISSIMI obtigisse. Pervenerunt praeterea ex vestri numero ad me adhuc Tergesti degentem tot laetiae adfirmationes, ut spem conciperem mihi liceat, quod saltem majori parti Dioecesis mihi concreditae inauguratio mea fuerit exoptata. Constitutum denique me conspicio Antistitem Dioecesis, cuius pars maxima jam me novit, quaeque et mihi haud est ignota; Dioecesis, cuius Clerum doctrina et morm probitate conspicuum, cuius populum religiosum, et ab illis inanis philosophiae falaciis alienum esse gaudeo, quae nostris temporibus tantam diversis regionibus cladem intulerunt, Dioecesis, in cuius regimine cogitandum mihi erit non tam ad novas institutiones condendas, quam ad conservanda et promovenda ea, quae a meis antecessoribus doctrina et pietate conspicuis cura et studio non parvo constituta et sancita fuere.

Ast omnia haec animum meum vix exhilarare possent, nisi Salvator noster (Joan. xiv. 16.) opem, roburque Spiritus Sancti promisisset illis, quos posuit regere ecclesiam Dei. (Act. Apost. XX. 28.) Vere necessitatem divinae gratiae infirma roborantis, illuminantis tenebrosa nunc fortius ac unquam antea perspicio et sentio, de ejusdemque vi et efficacia confitus vestram populique christiani imploro devotionem, in sacris piam memoriam et fervidas preces, ut Deus, qui ex infimis hominibus, e pauperibus piscatoribus Apostolos et Doctores in construendo sanctae suae Ecclesiae aedificio adlaborantes efficerat, me quoque assistentia sua omnipotenti prosequatur, mihiq; largiatur sapientiam et robur, zelum

et prudentiam, patientiam et pietatem, excitans, dirigens et confortans voluntatem meam ad ea omnia, quae sanctae meae vocationi sunt consentanea.

Huic ut respondeam pro debilitate mea conabor de vestra me juvandi propensione non dubitans, facilemque semper unicuique vestrum et singulis e populo curae meae spirituali coneredito ad me accessum promittens. Lubens item gratoque animo consilia utilitatem ecclesiae concernentia votaque virorum, qui doctrina et pietate excellunt, audiam et perpendam. Consilia haec praeprimis a vobis exspecto *Admodum Reverendi Domini Canonici cathedralis*, qui gerendarum rerum ecclesiasticarum gnari in episcopalibus officiis administratione hucusque non exiguum habuistis partem, a Vobis *Plurimum Reverendi Domini Decani*, quibus pastoralis meae sollicitudinis et vigilantiae pars in vestris districtibus alioquin commissa est, a vobis denique *Multum Reverendi Domini Parochi et animarum curatores* e Clero sive *sæculari* sive *regulari*, qui gregi meo propinquiores ejusdem animi sensa atque indigentias spirituales vi ministerii vestri nostis.

In vos fiduciam meam collocabo, ast ut vestram quoque in me reponatis, et non nisi sincero et ingenuo animo ad me accedatis, exopto, justum pariter et aequum tum meritorum aestimatorem, tum demeritorum censorem inventuri.

Communis est nobis vocatio, carissimi in Christo fratres! quare et studium nostrum, quo eam adsequamur, commune sit oportet; cumque nostrae operae, nostrique labores felicem omnino sortiri effectum haud queant, nisi fraterno amore juncti ad unum eundemque finem unanimi consensu adlaboremus, hinc praecipua nobis cura habenda erit, ut vigeat inter nos *concordia et pax* in rebus vitam nostram socialem concernentibus, *concordia et uniformitas* in divinis peragendis, *concordia et unanimitas* in doctrina.

Deus noster *Dens Pacis* est et *dilectionis* (2. Cor. XIII. 11.), itaque *Pacem habete inter vos.* (Marc. IX. 49.) *Si fieri potest, quod ex vobis est, pacem sequimini cum omnibus hominibus,* (Rom. XII. 18. Haeb. XII. 14.) *cum omni humilitate et mansuetudine, cum patientia supportantes invicem in caritate, solliciti servare unitatem spiritus in vinculo pacis,* (Ephes. IV. 2. 3.) fugientes omnes discordias; *ubi enim zelus et contentio, ibi inconstantia et omne opus pravum.* (Jac. III. 16.) Hanc concordiam, hanc Christi Domini pacem non tam adferre quam conservare, dum vivam, diligentissime adlaborabo, ut *pax Dei, quae exsuperat omnem sensum, custodiat corda vestra, et intelligentias vestras in Christo Jesu.* (Philip. IV. 7.) Hoc enim fraterni affectus sacerrimo vinculo, perpetuoque charitatis ligamine invicem conjuncti *digne ambulabimus vocatione, qua vocati sumus;* (Ephes. IV. 1.) sicque ad exemplum Christi alter alterutrum amantes, *benigni, misericordes, donantes invicem, sicut et Deus in Christo donavit nobis,* (Ephes. IV. 32.) palam nos fideles Christi ministros exhibebimus.

Uniformitas in muneris nostri functionibus et in divinis peragendis non solum a SS. Patribus et Conciliorum decretis summopere commendatur, sed etiam legibus a summo Imperante circa cultum divinum publicum latis praescribitur; quare vobis quam maxime commendatio, ut in Sacramentorum administratione et in dispensatione mysteriorum Dei doctrinae et ritui S. romano-catholicae Ecclesiae adhaereatis, sancta sancte tractetis, cultus divini publici ordinem legibus sancitum ad ammussim observetis et a transgressionibus ejusdem eo certius abstineatis, cum exinde facillime gregem inter et pastorem, quin imo inter ipsos animarum curatores discordiae orientur, cumque uniformitas in cultu Dei externo obeundo pulcherri-
mam exhibeat unitatis ecclesiae imaginem.

Veritas divina, quam praedicamus, una est. *Unus Dominus, una fides, unum baptisma.* (Ephes. IV. 5.) *Christus non est divisus* (1. Cor. I. 13.); quare doctrinae quoque unitatis et unanimitatis studium summopere commendans *vos obsecro fratres per nomen Domini nostri Jesu Christi, ut idipsum dicatis omnes, et non sint in vobis schismata, sitis autem perfecti in eodem sensu et in eadem sententia.* (1. Cor. I. 10.)

Hanc ut in doctrina conservemus unitatem totis viribus conemur ; cumque ecclesia Labacensis ut ut vasta et ampla nonnisi partem valde exiguum ecclesiae universalis per totum orbem dispersae constituat , quae sola depositum sanctae catholicae et apostolicae fidei conservat , hinc praeprimis nobis curandum , ut doctrina nostra sit doctrinae hujus universalis ecclesiae omnino conformis , ut huic ex corde et animo adhaeremus , ea , quae semper , quae ubique , quae ab omnibus credita et tradita fuere , teneamus , doceamus et observemus , ut a novis doctrinis abhorreamus , *custodientes depositum , devitantes profanas vocum novitates et oppositiones falsi nominis scientiae* , (1. Tim. VI. 20.) ut traditiones orthodoxorum P. P. et Beati Petri ejusque successorum constitutiones fideliter secuti , et ecclesiae universalis ejusque capiti tanquam centro unitatis sacerrimo vinculo juncti illis debitum amorem , venerationem et obedientiam exhibeamus , qui enim Ecclesiam neque diligit , neque honorat , et spreta ejusdem auctoritate consilia propria temerarie sequitur , non est filius Ecclesiae , in domo Dei non est pastor , sed mercenarius et in eum cadunt verba s. Augustini (L. 4 de Symb. ad catech. cap. 13.) *Si quis absque ecclesia inventus fuerit , alienus erit a numero filiorum , nec habebit Deum patrem , qui noluerit ecclesiam habere matrem.*

Sanctae nostrae vocationis est , animas curae nostrae concreditas ad aeternam salutem dirigere et quidem Christo Domino Duce , in vinea enim Domini colenda nonnisi *Dei adjutores sumus* (1. Cor. III. 9.). Cum autem *fundamentum aliud nemo possit ponere praeter id , quod positum est , quod est Christus Jesus* (11.) cumque *in alio aliquo ; salus non sit* , (Act. Ap. IV. 12.) nisi in Christo Jesu Domino nostro , ideo vos obsecro carissimi in Christo fratres : Nolite praedicare sapientiam hujus saeculi , sit sermo vester et praedicatio vestra non in persuasilibus humanae sapientiae verbis (1. Cor. II. 4. 6.) sed praedicate Iesum Christum et hunc crucifixum . (1. Cor. I. 23. II. 2.) *Quae sursum sunt quaerite , ubi Christus est in dextera Dei sedens , quae sursum sunt , sapite , non quae super terram ,* (Coloss. III. 1. 2.) evitantes nonnullorum modernorum praedicatorum usum , qui raro de Christo et longe rarius adhuc de redemptione mundi per Christum loquuntur , multaque de moralitate disserunt , quin illam aliis quam dictatis a ratione argumentis commendare studeant , quibusque id unum cordi esse videtur , ne quid dicant aetati excultae ac philosophiae modernae contrarium ; nam primis ecclesiae ministris fratres in Christo carissimi ! longe aliis fuit sermo ; tum enim , uti epistolae Apostolorum testantur , erat Deus in Christo mundum sibi reconcilians principale apostolicorum sermonum argumentum , inde hominum animi spiritu Christi repleti ad omne bonum operandum movebantur , modernos contra de moralitate sermones omni unctione carentes , vix prolatos sine fructu evanescere experimur ; quamobrem vos obsecro fratres in Christo carissimi ! ut Apostolorum potius exemplo adhaerentes , fidelium oculos et animos in aram crucifixi semper convertatis , ut Christum Dominum Redemptorem , ejusque praecepta nec non ea , quae Sacraenta novae legis attinent , in vestris ad populum sermonibus quam diligentissime praedicetis , exponatis et inculcetis ; id quod praecipue vobis commendatum volo , dum tenerae juventuti vel in scholis vel extra scholas catholicae fidei principiis instituendae incubueritis , dumque homilias matutinas , sermones sacros in Missa parochiali praescriptos , et pomeridianas instructiones catecheticas nunquam praetermittendas diebus dominicis et festis de praecipto tam pro parvulis quam pro adultis habueritis .

Fontes , ex quibus doctrina vero catholica haurienda est , S. Scripturam , SS. Patrum opera , et Conciliorum praesertim Tridentini decreta aliunde jam nostis , quodque illos diligenter pervolvatis non dubito . Hi vobis abunde suppeditabunt , quidquid necessarium esse poterit , aerae et verbi divini ministris ; quare non habeo quod addam , nisi ut vobis commendem , ut vestros ad populum sermones ita ordinetis , ut uno alterove labente anno singula fidei capita absolvatis , eademque diligentia praecpta pariter morum pertractetis , memoriam quoque Beatae Mariae Virginis et Sanctorum in aedificationem fidelium data occasione recolentes .

Cum autem *neque qui plantat , est aliquid , neque qui rigat , sed qui incrementum dat Deus* (1. Cor. III. 7.) pios nostros conatus fusis frequenter ad Deum precibus

comitari, ac Jesum, quem praedicamus; obsecrare oportet, ut corda nostra inflammans, et sanctificans conatibus pariter nostris incrementum dare et labores nostros gratia sua his praeceps temporibus adjuvare non deditur, quibus tot, tantique conatus ad primigeniam Christi fidem infringendam observantur.

Verum hanc ipsam ob causam non sufficit, ut doctrina nostra sit medicina spirituialis populi Dei, sed oportet, ut et odor vitae nostrae, Christi ecclesiae sit delectamentum, ut praedicatione non solum, sed exemplis etiam aedificemus domum, ceu familiam Dei, si-
c ut Paulus (Tito II. 7.) injunxit: *In omnibus te ipsum praebet exemplum bonorum operum, in doctrina, in integritate, in gravitate.* Haec sane sacerdotum communis est professio, dominicae vineae excolendae ita incumbere, ut omnibus bonorum operum fructibus splendeat, quod nonnisi tunc sperandum, si ea, quae verbo docuerimus, exemplo quoque confirmaverimus; nam id, quod fidelium animos ad pietatem et timorem Dei quam maxime impellit, est vita et exemplum eorum, qui ministerio sanctae ecclesiae se consecrarunt, qui facti sunt *lux mundi*, ut *luceat omnibus, qui in domo sunt*, (Matth. v. 14. 15.) quique facti sunt *sal terrae* (Matth. v. 13.) ut peccatorum extinguis pectoribus insidunt, sicque *forma facti gregis ex animo*, (1. Petr. V. 3) *providentes bona non solum coram Deo, sed etiam coram hominibus* (2. Cor. VIII. 21.) splendore operum bonorum opera tenebrarum dissipent, nemini dantes ullam offendit, ut non unquam vituperetur ministerium nostrum. (2. Cor. VI. 3.)

Dum sic *Deo, quae Dei sunt*, reddiderimus, reliquum est, ut et *Caesari, quae Caesaris sunt*, (Luc. xx. 25.) reddamus, ut exempla reverentiae, amoris, et gratitudinis, quibus hucusque longae Imperantium nostrorum seriei devincti fuimus, erga religiosissimum Imperatorem ac Regem nostrum FRANCISCUM I. pari devotione exhibere continuemus, ut nomen supremum pro diutissima ejusdem conservatione et publicis et privatis precebus frequenter exoremus (1. Tim. II. 3.), ut leges ab ipso latas vel ferendas accurate observemus, auctoritates ab ipso constitutas debito honore et obedientia prosequamur; Christi enim et Apostolorum doctrinae adversatur, qui Regibus et magistratibus morem gerere recusat. S. Petrus enim (1. Petr. II. 13.-15.) *nos regibus et ducibus tanquam a Deo missis subjectos esse jussit*, et S. Paulus (ad Rom. XIII. 1. 2. 5.) vult, ut *omnis anima potestatibus sublimioribus subdita sit*, et quidem, non solum propter iram, sed etiam propter conscientiam; non est enim potestas, nisi a Deo, et qui resistit potestati, Dei ordinationi resistit.

Si haec nobis vivendi, agendi et conversandi forma fuerit, cum divo Paulo (2. Tim. IV. 6. 7. 8.) *dum tempus resolutionis nostrae institerit*, cum fiducia nobis effari licebit, *bonum certamen certavi, cursum consumavi, fidem servavi*, et peracta terrestris peregrinationis via solari nos poterimus, justum et simul misericordem judicem nobis adjudicaturum esse *coronam justitiae* promissam *eis, qui diligunt adventum ejus*.

Jurisdictionem spiritualem et alias concessiones cuique a legitima auctoritate concessas usque ad terminum singulis praefixum confirmo. Si qua immutanda aut addenda visa fuerint, pro cognita utilitate aut necessitate ordinabuntur.

Gratia vobis et Pax a Deo Patre nostro et Domino Iesu Christo (2. Cor. I. 2.)

Ex Residentia Episcopali Labaci die 31. Octobris 1824.

Antonius Aloysius Wolf,

Episcopus.